



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno MCLXXXI. ad annum MCCCXIV.

**Parisiis, 1644**

XXV. De immunitate ecclesiarum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15974**

Gregorius decimus in generali Concilio Lugdunensi. Decet domum Domini sanctitudo , decet , vt cuius in pace factus est locus eius , sit cultus cum debita veneratione pacificus. Sit itaque ad ecclesias humilis & deuotus ingressus. Sit in eis quieta conuersatio , Deo grata , insipientibus placida , quæ considerantes non solum instruat , sed reficiat. Conuenientes ibidem nomen illud , quod est super omne nomen , a quo aliud sub cælo non est datum hominibus , in quo saluos fieri credentes oporteat , nomen videlicet Iesu Christi , qui saluum fecit populum suum a peccatis eorum , exhibitione reuerentiæ specialis attollant , & quod generaliter scribitur , vt in nomine Iesu omne genu fleat , singuli singulariter in se ipsis implentes ; præcipue dum aguntur Missarum sacra mysteria , gloriosum illud nomen quandcumque recolitur , flectant genua cordis sui , quod vel capitinis inclinatione testentur. Attendantur in locis ipsis intentis præcordiis sacra solennia , deuotis animis orationibus intendatur. Nullus in locis eisdem , in quibus cum pace ac quiete vota conuenit celebrari , seditionem excitet , conclamationem moueat , impetu committat. Cessent in illis vniuersitatum & societatum quarumlibet consilia , conciones , & publica parlamenta. Cessent vana , & multo fortius foeda & profana colloquia. Cessent confabulationes quælibet. Sint postremo quæcumque alia diuinum turbare possunt officium , aut oculos diuinæ

*Concil. Tom. 28.*

D d d d

maiestatis offendere , ab ipsis prorsus extranea : ne ,  
vbi peccatorum est venia postulanda , ibi peccan-  
di detur occasio , aut deprehendantur peccata  
committi. Cessent in ecclesiis earumque cœme-  
teriis negotiationes , & præcipue nundinarum , ac  
fori cuiusque tumultus. Omnis in eis sacerdotalium  
iudiciorum strepitus conquiescat. Nulla inibi cau-  
sa per laicos , criminalis maxime , agitetur. Sint lo-  
ca eadem a laicorum cognitionibus aliena. Ordinarii  
locorum hæc faciant obseruari , suadenda sua-  
deant , interdicta huius Canonis auctoritate com-  
pescant : ad hæc alios etiam in ecclesiis ipsis magis  
assiduos , & ad præmissa idoneos deputando. Et  
nihilo minus processus iudicum sacerdotalium , ac  
specialiter sententiæ prolatæ in eisdem locis , omni  
careant robore firmitatis. Qui vero præmissas in-  
hibitiones animo petulanti contempserint , præter  
processum ordinariorum , & deputandorum ab ip-  
sis , diuinæ vltionis & nostræ poterunt acrimoniam  
formidare , donec suum confessi reatum a simili-  
bus firmato proposito deliberauerint abstinere.

## XXVI.

## De usuris.

Gregorius decimus in generali Concilio Lug-  
dunensi. Usurarum voraginem , quæ animas deuo-  
rat , & facultates exhaustit , compescere cupientes ,  
constitutionem Lateranensis Concilii contra usu-  
rarios editam sub diuinæ maledictionis intermina-  
tione præcipimus iniurabiliter obseruari. Et quia  
quo minor feneratoribus aderit fenerandi com-  
moditas , eo magis adimetur fenus exercendi li-

Sub Alexâ-  
dro tertio  
cap. 15.